

## (APOGRAPHUM.)

BME PATER,

Archiepiscopus et Episcopi Provinciae Quebecensis humiliter exponunt in suis diocesibus ecclesias tempore hiemali, id est a prima die novembris usque ad primam maii, valde frigidas esse et propterea indultum fuisse ut hoc tempore SSimum Eucharistiae Sacramentum in sacristis asservetur, servatis servandis. Idcirco postulant ut indulgentiae omnes quae alicujus ecclesiae visitationem supponunt cum oratione ad intentionem Summi Pontificis possint similiter a fidelibus obtineri per visitationem sacristiae tempore quo juxta dictum indultum SSma Eucharistia ibidem asservatur.

Ex audientia SSmi diei 20 junii 1880. SSmus Dominus Noster Leo Divina Providentia PP. XIII, referente infrascripto S. Congnis de Propaganda Fide Secretario, porrectis precibus benigne annuere dignatus est pro gratia juxta petita.

Datum Romae ex aed. d. S. Congnis die et anno ut supra.

Gratis quocumque titulo,

L. † S.

(Signat,)

J. MASOTTI,  
*Secrius.*